Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quam ei corpusculum patiebatur, ut sepulchrum potius quam domum crederes. Capillum semel in anno die pasche totondit, super nudam humum stratumque iunceum usque ad mortem cubitavit. Saccum quo semel indutus fuerat numquam lavit, superfluum esse dicens mundicias in cilicio querere; nec mutavit alteram tunicam nisi cum prior penitus scissa fuisset. Scripturas sanctas memoriter tenuit. Post orationem psalmos quasi deo presente recitavit. Et quia longum est per diversa tempora carptim magnalia eius dicere, comprehendam breviter ante lectoris oculos vitam eius pariter exponens, et deinceps ad narrandi ordinem regrediar. Ab anno vicesimo primo usque ad vicesimum sextum tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, et aliis tribus panem aridum cum sale et aqua. Porro a vicesimo septimo usque ad tricesimum herbis agrestibus et virgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A tricesimo autem primo usque ad tricesimum quintum sex uncias ordeacei panis et coctum modice holus absque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos suos, et totum corpus impetigine et pumicea quadam scabredine contrahi, ad superiorem victum adiecit oleum, et usque ad sexagesimum tercium vite sue annum hoc continentie ordine cucurrit tenore, nichil extrinsecus aut pomorum aut leguminis aut cuiuslibet rei gustans. Dein cum se videret corpore defatigatum, et propinquam putaret imminere mortem, a sexagesimo quarto anno usque ad octogesimum pane abstinuit incredibili fervore mentis, ut eo tempore quasi novus accederet ad servitutem dei, quo ceteri solent remissius vivere. Fiebat autem ei de farina et comminuto holere sorbiciuncula, cibo et potu vix quinque uncias appendentibus, sicque complens ordinem vite, numquam ante solis occasum, nec in diebus festis, nec in gravissima invalitudine solvit ieiunium. Sed iam tempus est ut ad ordinem redeamus. Cum habitaret adhuc in tuguriunculo annos decem et octo natus, latrones ad eum nocte venerunt, vel estimantes habere aliquid quod tollerent, vel in contemptum sui reputantes si puer solitarius eorum impetum non pertimesceret. Itaque inter mare et paludem a vespere usque ad solis ortum discurrentes numquam locum cubilis eius invenire potuerunt. Porro clara luce reperto puero quasi per iocum: Quid, inquiunt, faceres si ad te latrones venirent? Quibus ille respondit: Nudus latrones non timeo. Et illi: Certe, aiunt, potes occidi. Possum, inquit, possum. Tunc admirati constantiam eius et fidem, confessi sunt noctis errorem cecatosque oculos, correptionem deinceps vite pollicentes. Viginti et duos iam in solitudine habebat annos, fama tantum notus omnibus et per totas Palestine vulgatus urbes. Cum interim mulier quedam Eleutheropolitana cernens despectui se haberi a viro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugii fructus dederat), prima erumpere ausa est ad beatum Hilarionem, et nichil tale suspicanti repente genibus advoluta: Ignosce, inquit, audacie, ignosce necessitati mee. Quid avertis oculos? Quid rogantem fugis? Noli me mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit salvatorem. Non est opus sanis medico, sed qui male habent. Tandem substitit, et post tantum temporis visa muliere interrogavit causas adventus eius et fletuum. Et postquam didicit, levatis ad celum oculis fidere iussit. Eamque lacrimis prosecutus, exacto anno vidit eam cum filio. Hoc signorum eius principium. Aliud magis signum nobilitavit. Aristen Hebelpidii, qui postea prefectus pretorii fuit, uxor valde nobilis inter suos et inter christianos nobilior, revertens cum marito et tribus liberis a beato Antonio, Gaze remorata est propter infirmitatem eorum. Ibi enim sive ob corruptum aerem, sive ut postea claruit propter gloriam Hylarionis servi dei, pariter omnes arrepti a medicis desperati sunt. Iacebat ululans mater et quasi inter tria filiorum discurrens cadavera, quem primum plangeret nesciebat. Agnito autem quod esset quidam monachus in vicina solitudine, oblita matronalis pompe, tantum se matrem noverat, vadit comitata ancillis et eunuchis, vixque ei a viro suo suasum est ut asello sedens pergeret. Ad quem cum venisset: Ego te, inquit, per Ihesum clementissimum dominum nostrum obtestor, et per crucem eius et sanguinem, ut reddas mihi tres filios, et glorificetur nomen domini salvatoris in urbe gentilium. Ingrediatur servus dei Gazam, et Marnas corruat. Renuente illo et dicente numquam se egressurum de cellula, nec habere consuetudinem ut non modo civitatem, sed nec villam quidem ingrederetur, prostravit se humi, crebro clamitans: Hylarion serve dei, redde mihi liberos meos. Quos Antonius tenuit in Egipto, a te serventur in Syria. Flebant cuncti qui aderant, sed ipse flebat negans. Sed mulier prius non recessit quam ille pollicitus est se post solis occasum Gazam intraturum. Quo postquam venit, singulorum lectulos et ardentia membra considerans, invocavit Ihesum. Et o mira virtus: quasi de tribus fontibus sudor pariter erupit, et eadem hora acceperunt cibos, lugentemque matrem cognoscentes, benedicentes sancti manus deosculati sunt. Quod postquam auditum est, et longe lateque percrebuit, certatim ad eum de Syria et Egypto populi confluebant, ita ut multi fierent christiani et se monachos profiterentur. Necdum enim monasteria erant in Palestina, nec quisquam monachum ante sanctum Hylarionem in Syria noverat. Ille fundator et eruditor huius conversationis et studii in hac provincia fuit. Habebat dominus Ihesus in Egipto senem Antonium, in Palestina Hylarionem iuniorem.

Facidia viculus est Rinocorure civitatis Egipti. De hoc decem iam annis ceca mulier adducta est ad beatum Hilarionem, oblataque est a fratribus (iam enim multi cum eo erant monachi), omnem substantiam expendisse ait in medicos. Cui respondens: Si que, inquit, in medicos perdidisti dedisses pauperibus, curasset te medicus deus. Clamante autem